



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Svmmma Totivs Theologiæ S. Thomæ Aqvinatis, Doctoris Angelici Ordinis Prædicatorum

Tertiæ Partis Volumen Secundum

Thomas <von Aquin, Heiliger>

Romæ, 1619

De remissione venialium peccatorum. Quæstio 87.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38725

Ad id autem quod in contrarium obijcitur, dicendum est, quod actus penitentiae virtutis habet quoddam sine eo non possit fieri remissio culpae, in quantum est inseparabilis effectus gratiae, per quam principaliter culpa remittitur, quae etiam operatur in omnibus sacramentis. Et ideo per hoc non potest concludi, nisi quod gratia est principalior causa remissionis culpae, quam penitentiae sacramentum. Sciendum tamen, quod etiam in veteri lege, & in lege naturae, erat aliquantulum sacramentum penitentiae: ut supra dictum est*.

q. 84. a. 7
ad 2.

QVÆST. LXXXVII.

De remissione venialium peccatorum, in quatuor articulos diuisa.

Deinde considerandum est de remissione venialium peccatorum.

¶ Et circa hoc quaeruntur quatuor.

¶ Primo, utrum sine penitentia peccatum veniale possit dimitti?

¶ Secundo, utrum possit dimitti sine gratiae infusione?

¶ Tertio, utrum peccata venialia remittantur per aspersionem aquae benedictae, & episcopalem benedictionem, &unctionem pectoris, & orationem Dominicam, & alia huiusmodi?

¶ Quarto, utrum veniale peccatum possit remitti sine mortali?

ARTIC. I.

Utrum peccatum veniale possit remitti sine penitentia?

AD primum sic proceditur. Videtur, quod veniale peccatum possit remitti sine penitentia. Pertinet enim, ut supra dictum est ¶, ad rationem verae penitentiae, quod non solum homo doleat de peccato praeterito, sed etiam proponat cauere de futuro. Sed sine tali proposito peccata venialia dimittuntur, cum certum sit, quod homo sine peccatis venialibus presentem vitam ducere non potest. Ergo peccata

332
inf ar. 2.
ad 2. et 3
Co. a. 1. c.
Co. 4. d. 16
q. 2. ar. 2.
q. 2. ad 1.
Co. d. 21.
q. 2. ar. 1.
s. et mal.
q. 7. a. 12.
cor.
† q. 84. a.
10. ad 4.
arg.

ve.

venialia possunt remitti sine pœnitentia.

¶ 2 Præterea, Pœnitentia non est sine actuali displicentia peccatorum. Sed peccata venialia possunt dimitti sine displicentia actuali eorum: sicut patet in eo qui dormiens occideretur propter Christum: statim enim euolaret, quod non contingit manentibus peccatis venialibus. Ergo peccata venialia possunt remitti sine pœnitentia.

¶ 3 Præterea, Peccata venialia opponuntur feruori charitatis: vt in Secunda parte dictum est*. *1. 2. q. 71.*
Sed vnum oppositorum tollitur per aliud. Ergo per *2. 2. q. 24. ar. 8.*
feruorem charitatis, quem contingit esse sine actuali *ad 2.*
displicentia peccati veniali, fit remissio peccatorum *ad 2.*
venialium.

SED contra est, quod Augustinus* dicit in libro *in l. b. de*
de pœnitentia, quod est quædam pœnitentia, quæ *medi pœ-*
quotidie agitur in ecclesia pro peccatis venialibus. *ni. et lib.*
Quæ frustra esset, si sine pœnitentia peccata venialia *de utilit.*
possent dimitti. Videtur ergo, quod peccata venialia *pœni. c. 2.*
non possint sine pœnitentia dimitti. *10. 9.*

RESPONDEO dicendum, quod remissio culpæ *q. præ. 4.*
(sicut dictum est*) fit per coniunctionem hominis *2. q.*
ad Deum, à quo aliquo modo separat culpa. Sed hæc *86. a. 4.*
separatio perfecte quidem fit per peccatum mortale: imperfecte autem per peccatum veniale: nam per peccatum mortale mens omnino à Deo auertitur, vt pote contra charitatem agens: per peccatum autem veniale retardatur affectus hominis, ne promptè in Deum feratur. Et ideo vtrumque peccatum per pœnitentiam quidem remittitur: quia per vtrumque deordinatur voluntas hominis per immoderatam conuersionem ad bonum creatum. Sicut enim peccatum mortale remitti non potest, quamdiu voluntas peccato adhæret: ita etiam nec peccatum veniale; quia manente causa manet effectus. Exigitur autem ad remissionem peccati mortalis perfectior pœnitentia, vt scilicet homo actualiter peccatum mortale commissum detestetur quantum in ipso est; vt scilicet

dili-

diligentiam adhibeat ad rememorandum singula peccata mortalia, ut singula detestetur. Sed hoc non requiritur ad remissionem venialium peccatorum. Non tamen sufficit habitualis displicentia quæ habetur per habitum charitatis, vel penitentia virtutis: quia sic charitas non compateretur peccatum veniale, quod patet esse falsum. Vnde sequitur quod requiratur quædam virtualis displicentia: puta cum aliquis hoc modo fertur secundum affectum in Deum & res diuinas, ut quicquid sibi occurreret quod eum ab hoc motu retardaret, displiceret ei, & doleret se hæc commississe, etiam si actu de illo non cogitaret. Quod tamen non sufficit ad remissionem peccati mortalis, nisi quantum ad peccata oblita, post diligentem inquisitionem.

Ad primum ergo dicendum, quod homo in gratia constitutus, potest vitare omnia peccata mortalia, & singula: potest etiam vitare singula peccata venialia, sed non omnia: ut patet ex his quæ in secunda parte dicta sunt*. Et ideo penitentia de peccatis mortalibus requirit, quod homo proponat abstinere ab omnibus & singulis peccatis mortalibus. Sed ad penitentiam peccatorum venialium requiritur, quod homo proponat abstinere a singulis, non tamen ab omnibus: quia hæc infirmitas huius vitæ non patitur. Debet tamen habere propositum se præparandi ad peccata venialia minuenda: alioquin esset ei periculum deficiendi, cum desereret appetitum proficiendi, seu tollendi impedimenta spiritualis profectus, quæ sunt peccata venialia.

Ad secundum dicendum, quod passio pro Christo suscepta (sicut supra dictum est †) obtinet vim baptismi: & ideo purgat ab omni culpa & veniali & mortali, nisi actualiter voluntatem peccato inuenierit inhaerentem.

Ad tertium dicendum, quod feruor charitatis virtualiter implicat displicentiam venialium peccatorum, ut supra dictum est*.

1. 2. q. 109
a. 8. q. 9.
74. ar. 3.
ad 2.

† q. 66. a.
11.

* q. 79. a.
3.

Utrum ad remissionem venialium peccatorum requiratur gratia infusio?

533

AD secundum sic proceditur. Videtur, quod ad remissionem venialium peccatorum requiratur gratia infusio. Effectus enim non est sine propria causa. Sed propria causa remissionis peccatorum est gratia: non enim ex meritis proprijs peccata hominis remittuntur. Unde dicitur Ephes. 2. Deus qui dives est in misericordia, propter nimiam charitatem suam qua dilexit nos, & cum essemus mortui peccatis, conuiuificauit nos in Christo, cuius gratia saluati estis: Ergo peccata venialia non remittuntur sine gratia infusione.

*sup. q. 65.
a. 2. ad 8
& infra
presen. q.
a. 3. co. et
a. 4. ad 2
et 4. d. 16
q. 2. et a.
2. qd. 1.
mal. q. 7.
a. 11. cor.*

¶ 2 Præterea, Peccata venialia non remittuntur sine poenitentia, sed in poenitentia infunditur gratia, sicut & in alijs sacramentis nouæ legis. Ergo peccata venialia non remittuntur sine gratia infusione.

*& ad 14
et a. 12. c.
& ad 1.*

¶ 3 Præterea, Peccatum veniale maculam quandam animæ infert. Sed macula non aufertur nisi per gratiam, quæ est spiritualis animæ decor. Ergo videtur, quod peccata venialia non dimittantur sine gratia infusione.

SED contra est, quod peccatum veniale adueniens, non tollit gratiam, neque etiam diminuit eam, ut in secunda parte habitum est †. Ergo pari ratione ad hoc, quod peccatum veniale remittatur, non requiritur nouæ gratia infusio.

*2. 2. q. 24.
ar. 10.*

RESPONDEO dicendum, quod vnumquodque tollitur per suum oppositum. Peccatum autem veniale non contrariatur habituali gratia vel charitati, sed retardat actum eius, in quantum nimis inhæret homo bono creato, licet non contra Deum: ut in secunda parte habitum est *. Et ideo ad hoc quod peccatum veniale tollatur, non requiritur quod infundatur aliqua habitualis gratia: sed sufficit aliquis motus gratia vel charitatis ad eius remissionem. Quia tamen in habentibus vsum liberi arbitrij, in quibus

*2. 2. q. 88
a. 1. et in
q. 24. ar.
10.*

folis possunt esse venialia peccata, non contingit esse infusionem gratiæ sine actuadi motu liberi arbitrii in Deum & in peccatum; ideo quandocumque de nouo gratia infunditur, peccata venialia remittuntur.

Ad primum ergo dicendum, quòd etiam remissio peccatorum venialium est effectus gratiæ, per actum scilicet, quem de nouo elicit: non autem per aliquid habituale de nouo animæ infusum.

Ad secundum dicendum, quòd peccatum veniale nunquam remittitur sine aliquali actu pœnitentiæ virtutis, explicito scilicet vel implicito: vt supra dictum est *. Poteft tamen remitti peccatum veniale sine pœnitentiæ sacramento, quod in absolutione sacerdotis formaliter perficitur: vt supra * dictum est. Et ideo non sequitur, quod ad remissionem venialis peccati requiratur gratiæ infusio: quæ licet fit in quolibet sacramento, non tñ est in quolibet actu virtutis.

art. prac.
q. prac. a.
5.

Ad tertium dicendum, quòd sicut in corpore contingit esse maculam dupliciter: vno modo per priuationem eius, quod requiritur ad decorem, puta debiti coloris, aut debiti proportionis membrorum: alio modo per superinductionem alicuius impediētis decorem, puta luti aut pulueris: Ita etiam animæ inducitur macula: vno modo per priuationem decoris gratiæ per peccatum mortale: alio modo per inclinationem affectus inordinatam ad aliquid temporale. Et hoc fit per peccatum veniale. Et ideo ad tollendam maculam peccati mortalis requiritur infusio gratiæ: sed ad tollendam maculam venialis peccati, requiritur aliquis actus procedens ex gratia, per quam remoueat inordinata adhæsiō ad rem temporalem.

534
sup. q. 65.
a. 1. ad 6
et 8. et 9.
83. artic.
3. ad 3.
et 4 d. 16
q. 2 ar. 2.
q. 4. et d.
17. q. 3.
a. 3. q. 3.
et dis. 21.
q. 2. art.
1 et 2. et
mal. q. 7.
a. 12.

ARTIC. III.

Vtrum venialia peccata remittantur per asperfusionem aquæ benedictæ, & cetera huiusmodi?

Ad tertium sic proceditur. Videtur, quòd venialia peccata non remittantur per asperfusionem aquæ benedictæ, & episcopalem benedictionem, & alia hu-

ius.

Iusmodi. Peccata enim venialia non remittuntur sine penitentia, vt dictum est *. Sed penitentia per se sufficit ad remissionem venialium peccatorum. Ergo ista nihil operantur ad huiusmodi remissionem.

** a. 1. huius
ius q.*

¶ 2 Præterea, Quodlibet istorum eandem relationem habet ad vnum peccatum veniale, & ad omnia. Si ergo per aliquod istorum remittitur aliquod peccatum veniale, sequitur quod pari ratione remittantur omnia. Et ita per vnam tunctionem peccatoris, vel per vnam aspersionem aquæ benedictæ, redderetur homo immunis ab omnibus peccatis venialibus: quod videtur inconueniens.

¶ 3 Præterea, Peccata venialia inducunt reatum alicuius pœnæ, licet temporalis: dicitur enim 1. Cor. 3. de eo, qui superadificat lignum, fœnum, & stipulam, quod saluus erit, sic tamen quasi per ignem. Sed huiusmodi, per quæ dicitur peccatum veniale dimitti, vel nullam, vel minimam pœnam in se habent. Ergo non sufficiunt ad plenam remissionem venialium peccatorum.

SE D contra est, quod Aug. * dicit in lib. de penitent. quod pro leuibus peccatis peccata nostra tundimus, & dicimus, Dimitte nobis debita nostra. Et ita videtur, quod tunctio peccatoris, & oratio Dominica, causent remissionem venialium peccatorum. Et eadem ratio videtur esse de alijs.

*in lib. de
med. pan.
c. 2. 10. 9.*

RESPONDEO dicendum, quod (sicut dictum est *) ad remissionem venialis peccati non requiritur nouæ gratiæ infusio: sed sufficit aliquis actus procedens ex gratia, quo aliquis detestetur peccatum veniale vel explicitè vel saltem implicite: sicut cum aliquis seruentur mouetur in Deum. Et ideo triplici ratione aliqua causant remissionem venialium peccatorum. Vno modo, in quantum in eis infunditur gratia: quia per infusionem gratiæ tolluntur venialia peccata, vt supra dictum est *. Et hoc modo per eucharistiam & extremam vntionem, & vniuersaliter per omnia sacramenta nouæ legis, in quibus cõfertur gratia,

*ar. 2. huius
ius q.*

Ll 2 pcc-

peccata venialia remittuntur. Secundo, in quantum sunt cum aliquo motu detestationis peccatorum. Et hoc modo confessio generalis, unctio pectoris, & oratio Dominica operantur ad remissionem venialium peccatorum: nam in oratione Dominica petimus, Dimitte nobis debita nostra. Tertio modo, in quantum sunt cum aliquo motu reuerentiæ, in Deum, & ad res diuinas. Et hoc modo benedictio episcopalis, asperio aquæ benedictæ, qualibet sacramentalis unctio, oratio in ecclesia dedicata, & si aliqua alia sunt huiusmodi, operantur ad remissionem venialium peccatorum.

Ad primum ergo dicendum, quod omnia ista causant remissionem peccatorum venialium, in quantum inclinant animam ad motum penitentiæ: qui est detestatio peccatorum, vel implicite vel explicite.

Ad secundum dicendum, quod omnia ista quantum est de se, operantur ad remissionem omnium peccatorum venialium. Potest tamen impediri remissio quantum ad aliqua peccata venialia, quibus mens actualiter inhæret: sicut & per fictionem interdum impeditur effectus baptismi.

Ad tertium dicendum, quod per prædicta tolluntur quidem peccata venialia quantum ad culpam, in virtute alicuius satisfactionis, tum etiam virtute charitatis, cuius motus per prædicta excitatur. Non autem per quodlibet prædictorum semper tollitur totus reatus pœnæ: quia sic qui esset omnino immunis à peccato mortali, aspersus aqua benedicta, statim euolaret. Sed reatus pœnæ remittitur per prædicta secundum modum feruoris in Deum, qui per prædicta excitatur, quandoque magis, quandoque autem minus.

ARTIC. IV.

Utrum veniale peccatum possit remitti sine mortali?

335
Inf. q. 90
a. 4. ad 3
et 4. d. 16
q. 2. a. 1.
q. 2. & 3.

AD quartum sic proceditur. Videtur, quod veniale peccatum possit remitti sine mortali. Quia secundum illud Ioann. 8. Qui sine peccato est vestrum, primus in illam lapidem mittat. Dicit quædam glossa, quod

quod * omnes illi erant in peccato mortali: venialia enim eis dimittebantur per cæremonias. Ergo veniale peccatum potest remitti sine mortali.

¶ 2 Præterea, Ad remissionem peccati venialis non requiritur gratiæ infusio: requiritur autem ad remissionem mortalis. Ergo veniale peccatum potest remitti sine mortali.

¶ 3 Præterea, Plus distat peccatum veniale à mortali, quàm ab alio veniali. Sed vnum veniale potest dimitti sine alio: vt dictum est *. Ergo veniale potest dimitti sine mortali.

SED contra est, quod dicitur Matth. 5. Amen dico tibi, non exies inde, (scilicet ex carcere in quem intruditur homo pro peccato mortali) donec reddas nouissimum quadrantem, per quem significatur veniale peccatum. Ergo veniale peccatum non remittitur sine mortali.

RESPONDEO dicendum, quod (sicut supra dictum est *) remissio culpæ cuiuscunque numquam fit nisi per virtutem gratiæ: quia vt Apostolus dicit Rom. 4. Ad gratiam Dei pertinet, quod Deus alicui non imputet peccatum: quod gloss. ibi exponit de veniali *. Ille autem qui est in peccato mortali, caret gratia Dei. Vnde nullum veniale sibi remittitur.

Ad primum ergo dicendum, quod venialia ibi dicuntur irregularitates siue immunditiæ, quas contrahabant secundum legem.

Ad secundum dicendum, quod licet ad remissionem peccati venialis non requiratur noua infusio habitualis gratiæ, requiritur tamè aliquis gratiæ actus, qui non pòt esse in eo qui subiacer peccato mortali.

Ad tertium dicendum, quod peccatum veniale non excludit omnem actum gratiæ, per què possunt omnia peccata venialia dimitti. Sed peccatum mortale excludit totaliter habitum gratiæ, sine quo nullum peccatum mortale vel veniale remittitur. Et ideo non est similis ratio.

* Ex Cyril. l. 5. in 10. c. 16. c. 17.

art. præc. ad 2. c. q. præc. ar. 3.

q. præc. a. 6. c. 4. 87. a. 3.

gl. inter l. ibi. super illud Eia tus cui no imputa- uit Domi nus pec- catum.